

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1879

Auteur(s) : Boniface VIII [pape]

Bénéficiaire(s) : Jean II de Samois, Lisieux (évêque)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1299, 3 février

Lieu d'émission : Latran

Action juridique : définition vicairie

Langue du texte : latin

Analyse

Bulle de Boniface VIII adressée à Jean, évêque de Lisieux, sur le déplacement de celui-ci du siège de Rennes à Lisieux.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Lexoviensis, n° VI, col. 211-212.

Texte établi d'après a

Bonifacius, etc. venerabili fratri Joanni episc. Lexov. Apostolatus officium nobis quamquam immeritis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini præsidemus, utiliter exequi adjuvante Domino cupientes, solliciti corde reddimus ac vigiles, ut cum de ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores præficere studeamus, qui commissum sibi gregem dominicum sciant, non solum doctrina verbi, sed exemplo boni operis informare, ac eis commissas ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant duce Domino gubernare. Sane dudum Lexoviensis ecclesia per obitum bonaë memoriae G. episcopi Lexoviensis, pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum ipsius ecclesiæ, pro futuri episcopi substitutione, die ad hoc præfixa, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt, et oportuerunt commode interesse, ut moris, est, convenientes in unum, dilectum filium Henricum de Tilleio, eorum concanonicum, in minoribus ordinibus constitutum, in Lexoviensem episcopum concorditer postularunt, ac nobis decretum postulationis hujusmodi paæsentantes petierunt, ut illum admittere de benignitate apostolica dignaremur. Nos autem deliberatione super his cum fratribus nostris habita diligent, postulationem ipsam ex certis causis non duximus admittendam. Deinde vero de ipsius Lexoviensis ecclesiæ provisione salubri ac celeri, ne diu vacationis incommodis remaneret exposita, cogitantes ac volentes eidem talem pastorem præficere, cuius studio atque cura posset utiliter gubernari ; ad te tunc Rhedonensem episcopum, cui literarum scientia, morum honestas, vitæ munditia et experientia pastoralis officii, quod laudabiliter gessisse dignosceris, suffragantur, convertimus aciem mentis, teque de fratum nostrorum consilio et apostolicæ plenitudine potestatis, a vinculo quo tenebaris prædictæ Rhedonensi ecclesiæ absolventes, ad præfatam ecclesiam Lexoviensem transferimus, præficientes te eidem Lexoviensi ecclesiæ in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, liberam tibi dantes licentiam ad ipsius Lexoviensis ecclesiæ, etc. confisi quod per tuæ circumspectionis industriam et providentiam circumspectam gratia tibi suffragante divina, prospere dirigetur, et gratis auctore Deo proficiet incrementis. Jugum itaque Domini reverentia prompta suscipiens, et suavi ejus oneri sub humilitatis spiritu colla submittens, sic curam et administrationem ipsius Lexoviens. ecclesiæ, in

spiritualibus et temporalibus, prudenter et utiliter exequaris, quod grex tuæ circumspectioni creditus, in te salutis ministrum reperisse gaudeat, et optatis commodis valeat augmentari, tuque velut pastor sollicitudine pervigili ecclesiam ipsam gubernasse fructuoso regimine comproberis, ac exinde cœlestis regni gloriam et apostolicæ sedis gratiam uberioris merearis. Datum Laterani, III nonas Februarii, pontificatus nostri anno quinto.